



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sancto Innocentio Papa, quem sancta Maria corripuit per Reinerum,  
cùm in ordinem Cisterciensium exactiones facere conaretur, cap. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Defendit  
etiam res  
eorū, qui  
eā vene-  
rantur.*

**T**Empore illo, quo Baldewinus comes Flandrie cum cruce signatis Constantinopolim expugnauit, dominus Papa Innocentius ordini literis suis mandauerat, vt quadragesimam partem omnium rerum suarum mobilium in succursum terræ sanctæ transmitteret. Ordo verò priuilegijs sibi ab eius antecessoribus indultis innitens, ne libertatem concessam uertere videretur in seruitutem, tam grandi exactioni subiacere non acquieuit. Vnde Innocentius furens, in tantum ordini indignabatur, vt dignitatibus secularibus indulgere proponeret, quatenus possessiones ordinis sibi vsurparent. In proximo generali capitulo Abbates, qui confluxerant, spem suam in beata Dei genitrice Maria, quæ ordinis patrona est & aduocata, ponentes, scientes sententiam malè cōceptam, eius precibus & meritis facilè posse reuocari, speciales pro eadem necessitate, vsque ad proximum capitulum, orationes injunxerunt. Hoc etiam adicientes, vt à capite quadragesimæ nudis pedibus de capitulo exeuntes, septem psalmos cum letania cantarent: quod & fecimus. Interim beata Dei genitrix virgo Maria cuidam religioso nomine Reinero, iam dicti Innocentij confessori apparens, in hæc verba eidem mandauit: Tu ordinem Cisterciensem, cuius aduocata sum ego, destruere conaris, sed non praualebis; & nisi citius de tuo malo proposito resipiscas, ego te & omnem potestatem tuam conteram. Huiusmodi nuntio dominus Innocentius audito, sciens Reinorum virum esse sanctum ac veracem, timuit, in tantum de concepto peccato pœnitens, vt ordinis priuilegia roboraret, hoc adiciens, vt primò omnium negotia ordinis in curia expedirentur: quam indulgentiam cum tam sua bulla, quàm omnium Cardinalium subscriptionibus confirmaret, & vnus tantum nigri ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exaruit, vt statim eum amouere minaretur. Cumque hæc in proximo capitulo patribus nostris innotuissēt, Christum eiusque genitricem virginem Mariam, de tam inopi-

inopinata immutatione glorificantes, orationes in-  
 junctas, cum gratiarum actione dimiserunt. APO-  
 LONIVS: Non miror, si aduocatiam suam tam potēs  
 regina defendit. CÆSARIYS: Verum dicis, licet enim  
 sit mater misericordiæ, non tamen obliuiscitur circa  
 immisericordes vindictæ.

## CAPVT VII.

**D**Vm nobilis femina domina Aleydis de Mols-  
 berg, cum consensu mariti sui Euerhardi Bur-  
 grauij quædam allodia sua, per inspirationem  
 diuinam, ad nouam Abbatia ordinis nostri construē-  
 dam in manus domini Henrici Abbatis nostri libere,  
 & sine omni contradictione tradidisset, & ante ipsius  
 mortem domus, quæ vocatur locus Mariæ, constru-  
 cta fuisset, viri quidam nobiles, ex eius cognatis, post  
 eius mortem, contra iusurandum venientes, eandem  
 nouellam plantationem querimonijs, minis, rapinis,  
 multisque alijs incommodis molestare cœperunt.  
 Sancta verò Dei genitrix Virgo Maria, eiusdem cœ-  
 nobij Domina & Aduocata, sicut à multis dicebatur,  
 hoc apud filium egit, vt Henricus de Molsberg, qui  
 præcipuus videbatur, obsideretur, & supra vires dam-  
 nificatus, de proprio castro eliminaretur. De Ze-  
 genbergh vir nobilis, à quo multum domus prædicta  
 vexabatur, à seruo suo satis mirabiliter occisus est: ali-  
 quidam, ad eius deprædationem properās, in via cre-  
 puit medius. Quam vindictam cum audisset alius qui-  
 dam nobilis, vnus de cohæredibus, venit ad locum ti-  
 more correptus, dicens: Domina mea sancta Maria  
 sint tua tibi, ego parti meæ renuntio. Wilhelmus mi-  
 les de Helpenstein, ab vxore instigatus, quæ se hære-  
 dem possessionum collatarum dicebat, cortem me-  
 liorem inuadens, fratres multis expensis grauabat.  
 Interim sacerdos quidam religiosus, confessor eius,  
 nocte quadam in loco sanctæ Mariæ se per visum  
 transpositum vidit, & cum quidam ex sacerdotibus  
 celebraturus esset Missam, & a supradicto Wilhelmo  
 impediretur, vir quidam nigerrimus fuste illum per-  
 cussit, & occidit. Quem visum, cū ei recitasset, asserēs